

X 77 X
PIUS P.P. VII.

Dilecte Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Significata sunt Nobis peculiaria Carissimi in Christo filii Nostri NAUPOLEONIS BONAPARTE Primi Galliarum Reipublicæ Consulis, atque Italicae Reipublicae Praesidis vota de ineunda Nobiscum Conventione super rebus Ecclesiasticis ipsam Italiam Rempublicam spectantibus, deque laudati NAUPOLEONIS desiderio easdem res tecum pertranslanti atque constabiliendi. Nos igitur, qui de tua fide, prudentia, & integritate plurimum in Domino confidimus, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, Te in nostrum, & Apostolicae Sedis Plenipotentiarium tenore praesentium nominamus, constituimus, & deputamus, Tibique, ut juxta nostram instructionem Nostro dictaeque Sedis nomine cum eodem Primo Consule, ac Praeside, vel cum Persona ab ipso electa, seu eligenda, & sufficienti pariter ad haec mandato instruta, de Conventionis negotio agere, sicque negotium hoc confidere, & concludere, manu tua subscribere, signoque tuo munire liberè, & licite valeas, facultatem harum serie concedimus, & impertimur: & si conventio praefata juxta formam a Nobis propositam conficietur, decernimus,